

The *Lucula noctis* Project
(<http://web.wlu.ca/history/cnighman/LN/index.html>)

Philosophia g

Libet mendicatum ab Hugone pariter mendicante verbum recitare, dicente: “In philosophis fuit venerabilis ymago virtutis, cum sine fide et dilectione substantia virtutis esse non possit.” Utinam tales inveniantur in nobis qui virtutis ymaginem teneant!

Quis enim umbras virtutum induit, quibus videmus floruisse gentiles?

“Quis enim Themestodis diligentiam, Frontonis gravitatem, Socratis continentiam, Fabricii fidem,

pudicitiam Scipionis, longanimitatem Ulixis, Catonis pietatem imitatur,” que

quasi quedam seculorum suorum sydera splenduerunt, tempora sua illustrantes?

Lucula noctis, 7 (E. Hunt ed., p.58, ll.198-208).

cf. Hug. de S.V. *Quaest. in Ep. Pauli* 38-39 (PL 175.440)

In philosophis enim fuit uenerabilis ymago uirtutis, dum sine fide et dilectione substantia uirtutis esse non possit. Et utinam, inquit, inueniatur in nobis qui uirtutis ymaginem teneat.

Quis enim umbras uirtutum induit quibus uidemus floruisse gentiles?

Quis enim Themestodis diligentiam, Frontonis grauitatem, Socratis continenciam, Fabricii fidem,

pudiciciam Cipionis, longanimitatem Vlixis, Catonis pietatem imitatur, qui

quasi quedam seculorum suorum sidera splenduerunt, tempora sua illustrantes?

Sed quia Christum non cognouerunt, euanuerunt in cogitationibus suis superbia tumescentes, uera humilitate carentes, humanam gloriam appetentes, et seipsos esse sapientes estimantes et dicentes: Stulti facti sunt, Romanos I.

Hugo ibidem (in didascalicon libro III.).

Manipulus florum, Philosophia g

Et de hoc habetur in Policrato lib. 3. cap. 9. qui, bene loquens de philosophis, ait, quod in eis venerabilis tantum imago virtutis fuerit, dum sine fide, et dilectione substantia virtutis esse non possit: et vtinam, inquit, inueniatur in nobis, qui vel virtutis imaginem teneat.

Quis enim virtutem amplectitur ipsam? Quis etiam ymbras virtutum induit, quibus videmus floruisse gentiles, licet eis, subtracto Christo, verae beatitudinis non apprehenderint fructum? Quis Themistoclis diligentiam, Frontonis grauitatem, continentiam Socratis, Fabritii fidem, innocentiam Numae, pudicitiam Scipionis, longanimitatem Vlissis, Catonis parcitatem, Titi pietatem imitatur? quis non cum admiratione veneratur? Porro praedicti, et similes magni quidem, et laudabiles viri,

quasi quaedam saeculorum suorum sydera splenduerunt, illustrantes tempora sua. Et licet tales fuerint, quia Dominum Iesum Christum non cognouerunt, sed euanuerunt in cogitationibus suis, et *superbia tumentes, vera humilitate carentes, humanam gloriam appetentes*, et dicentes seipsos esse sapientes, stulti facti sunt Rom. I.

Iohannes Gallensis, *Compendiloquium*, 2.2.2 (L. Wadding ed., Rome, 1655, pp.77-8).

Sit ergo uenerabilis imago uirtutis, dum sine fide et dilectione substantia uirtutis esse non possit. Et utinam inueniatur in nobis, qui uel uirtutis imaginem teneat. *Quis enim uirtutem amplectitur ipsam?* Quis etiam umbras uirtutum induit quibus uidemus floruisse gentiles, licet eis subtracto Christo uerae beatitudinis non apprehenderint fructum? Quis Themistoclis diligentiam, Frontonis grauitatem, continentiam Socratis, Fabricii fidem, innocentiam Numae, pudicitiam Scipionis, longanimitatem Vlyxis, Catonis parcitatem, Titi pietatem imitatur? Quis non cum admiratione ueneratur? Probitas siquidem laudatur et alget. Porro praedicti et consimiles, magni quidem et laudabiles uiri, quasi quaedam saeculorum suorum sidera splenduerunt, illustrantes tempora sua, praeambuli coetaneorum suorum in id iustitiae et ueritatis quod dispositione diuina illuxerat eis.

Iohannes Sarisberiensis, *Policraticus*, 3.9 (CCCM 118, K.S.B. Keats-Rohan ed., pp.197-8, ll.39-53).